

## Censura duorum Theologorum.

**V**erissimum est, quod devotissimus Thomas à Kempis in aureo suo Libello de imitatione Christi, l. 1. c. 18. ait. *Intuere sanctorum Patrum virida exempla in quibus vera perfectio & religio respluit; & videbis, quam modicum sit & pene nihil, quod nos agimus.* Et l. 3. c. 19. *Parum est, quod tu pateris in comparatione eorum, qui tam multa passi sunt.* Hzc accuratiori mente evolvens, ad excitandos fidelium animos, P. Dionysius Luxemburgensis, P. M. magno labore conscripsit Sanctorum Legendarum, singulis totius anni diebus speciali cuiusdam Sancti Legenda illustratam. Quam A. V. P. Martinus Cochemensis, Ordinis Capucinorum Jubilarius ac Provinciae Senior, magna diligentia revisit, auxit & emendavit. Cum itaque ex impositione R. P. Damasceni Lohrani, Ordinis Capucinorum per Provinciam Rhenanam Provincialis, memoratam revisionem & emendationem attentè perlegerimus, nihilque sanæ fidei aut bonis moribus contrarium in eadem repererimus, hinc luce publicâ dignam judicamus, ut legentes ad imitationem Sanctorum excitentur; & qui delectantur magnitudine præmiorum, non deterreantur certamine laborum. Datum Moguntiæ 1708. 12. Augusti.

F. Ferdinandus Trevirensis, Ordinis Capucinorum Concionator.

F. Dominicus Merlensis, Ordinis ejusdem SS. Theologiae Lector.

## Facultas Censoris Moguntini.

**Q**uia spinis consita est, quâ ad cælum tenditur, via, delicatuli multi asperiorem illam quam quam incedere possint, erroneè apprehendentes, gravissima queque scelera committunt, tanquam nihilominus ab illa Beatorum sede eternum excludendi, Infelicibus ipsis ab interitu revocandis efficacius quid proponas quam Divorum Divarumque Cælitum cruentos sub Tyrannis agones vel susceptas à semetipsis adversus semetipsose pugnas, inficta corpori flagra, adhibita cilicia, jejunia, per vigilia, & sexcenta alia Christianæ fortitudinis exempla? Ceterè hac talia qui audiunt, vix possunt non exclamare: potuerunt isti & istæ ut animos cælo transcriberent, in propria corpora tam duri & inclementes esse jejunare, vigilare, orare, ignes imo & rotas & Carnificum gladios contemnere, quidni & nos poterimus & vero etiam volemus, illo eodem adjuvante; qui istos & istas adjuvit, durissimum quid pro cælo sustinere? Sic putto, vix possunt non dicere. Huic porro effectui certius obtinendo, cum Adm. Rdi. Patris Dionysii Luxemburgii Concionatoris Capucini pie demortui præsens Legenda non inidonea sit, nihilque habeat contra fidem & bonos mores; sed diligenter à R. P. Martino Cochem, recognita, in lucem edi mereatur facultatem do, ut iterato imprimatur. Moguntiæ 18. May 1708.

J. Georgius Kirsch, S. Th. Lic. Eminentissimi Moguntini Consiliarius Ecclesiasticus, librorum Censor.